

ritice temporibus ludis scholaribus deputati, varia-  
rum studia doctrinarum nequaquam in se admit-  
tunt, sed inexercitati et invalidi, veluti stolida et insen-  
sata animalia, a profunda et multipli rerum  
indagine rejiciuntur; de quibus merito supradictum  
proverbium cantatur. Et quoniam propriis huic arti  
cibis ipsi athletæ vescebantur, sicut erant coliphia,  
unde scilicet et vires augerentur et corporis habili-  
tas industriaque non periclitaretur, idcirco subse-  
quitur in eodem proverbio quod etiam impensæ per-  
dantur quæ in leuite negligentibus et minime aptis  
ingeruntur. Nonnulli ceroma intellexerunt esse arti-  
ficium quoddam juxta morem antiquum pingendi,  
cui, ne facies et pulchritudo picturæ vetustate tem-  
poris aboleretur, ceræ mixtura apponebatur, modico  
igni huic temperamento adjecto, ut æqua mensura  
colorum ceræque concordante, nec venustas et gratia  
coloribus nec ceræ perspicuitas deesset. Hoc genus  
pingendi etiam a Boetio viro doctissimo commemo-  
ratum adhuc suo tempore viguisse dubium non est.

A Quadam igitur inflexione nominis adducti sunt  
qui hoc senserunt esse ceroma, ut verbi gratia  
sicut homo ab humo, ita ceroma a cera originem  
ducere existimat. Sed hoc non satis pruden-  
ter intellectum, etiam ipse sensus manifestat.  
Quamobrem superior expositio, quæ et securior at-  
que secretior antiquiorque judicatur, vobis credo  
satisfaciет, nugasque varie commentantium apud  
vestram prudentiam extinguet. Hoc de parva re  
sine fraude apud judicium prudens vestrum dispo-  
sui, charissime virorum; oroque vestram ingenuam  
prudentiam ut fastidiosorum supercilia declinantes,  
apud vos contineatis quæ fidelis animus et amici non  
frivola charitas transmisit. Ceterum placeat me  
salva stabilitate amicitia hoc quod elegeritis, sicut  
B postulo, vestris scriptis edoceatis. Nolo enim nec  
garrulitatis improbitatem incurrire, nec rursus ta-  
citurnitatis nota in his quæ efferaenda sunt juste dam-  
nari.

## VI.

## APPARITIO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI IN PARTIBUS OCCIDUIS, HOC EST IN MONTE TUMBA IN GALLIA.

*Scripta ab auctore anonymo ante saculum x.*

(Ex Mabillonio, Acta Sanct. ord. sancti Benedicti.)

## OBSERVATIONES PRÆVIAE.

Non ab re fuerit paulum digredi extra metas, ut C locum demus celebri sancti Michaelis apparitioni, quæ rebus ordinis nostri non parum attulit splendoris. Hæc quippe occasionem praebuit extruendo pér- insigni monasterio sancti Michaelis in monte Tumba, seu in periculo maris dicto, quod Richardus primus Normannorum dux monachis Benedictinis concessit, exclusis ob vitam solitariem clericis, qui montem ante a monachis occupatum incolebant. Auxit loci famam et frequentiam religio monachorum, qui in angusta montis abrupti crepidine magnificam condidere basilicam, ducentorum et triginta octo pedum longitudine, altitudine centum supra triginta quinque; regulares autem ædes paulo infra circum basilicam, quibus accessit in declivi montis laterè aquilonari oppidum, patroni sui præsidio et situ loci firmissimum adversus Galliæ hostes munimentum. Istuc voti causa frequentes ex universa fere Europa concurrunt peregrini: quos inter Galliæ reges non pauci, nempe Ludovicus VII et sanctus Ludovicus, Philippus III, Carolus VI, Ludovicus XI, adeoque Henricus II Angliæ rex, suam loco præsentiam exhibere dignati sunt. Iste Ludovicus XI jam dictus sancti Michaelis equestrem ordinem instituit, cuius generalia comitia quotannis eodem convocari diu moris fuit. Guillelmus Major Andecavorum episcopus electus anno 1291, Colinum quemdam removit ab incesta consuetudine, ea pœna imposita, quod ipse in die Pentecostes publice in ecclesia sua peram et

baculum a sacerdote, ut moris est, acciperet, inde iturus nudis pedibus ad montem beati Michaelis in monte Tumba: qui sacerdos exponat ibidem populo cau- san, quare dictus Colinus sic vadit in montem beati Michaelis, et quod sit ei ex parte nostra injunctum in pœnam dicti publici incestus, inquit Guillelmus ipse in libro de Gestis suis, cap. 19, tomo X Spicile- gii Acheriani.

D 2. Tempus factæ apparitionis revocant loci veteres chartæ ad annum 708; ecclesie vero a sancto Autherto constructæ dedicationem ad annum inse- quentem, cum Childebertus tertius Francis imper- bat. Rodulfus Glaber in Vita Roberti regis ecclesiastis beati Michaelis laudat, « quæ, inquit, constituta in quodam promontorio littoris Oceani maris, toto orbe nuncusque habetur venerabilis. » Sane « Edelredus Angliæ rex, teste Willemo Gemeticensi monacho, in lib. v, cap. 4, « satrapis suis regio more præcepit, ut euntes totam Normanniam rapinis et incendis exterminarent, solummodo archangeli Michaelis monti parcerent. » Quietiam Angliæ præmiles in Oxoniensi concilio statuerunt, anno 1222, « ut dedi- catio sancti Michaelis in monte Tumba a rectoribus ecclesiarum devotissime celebraret: » quod in tota provincia Lugdunensi secunda et plerisque alii Gallicani regni ecclesiis olim observatum.

3. Qui subjectam apparitionis et dedicacionis his- toriam descripsit auctor anonymus, vixit paulo post id temporis quo res contigit, certe antequam

istuc inducerentur monachi, hoc est ante annum 960. Et quidem codex noster Sancti Germanensis quo usi sumus, scriptus fuit jussu Adraldi, anno 1060 abbatis eynobii sancti Germani de Pratis, ut faciunt fidem hi versus ab Ingelardo monacho exscriptore exarati :

Abbatis domni nutu probitate decori  
Adraldi, monachus quidam prior arte modestus.  
Libris intentus, horum reparator amoenus  
Sigwinus, scribi librum præcepit istum.  
Quem si quis tulerit, maleficius sine peribit.  
Hunc Ingelardus decoravit scriptor honestus.

Præter hanc anonymi lucubrationem, est et alia ejusdem argumenti scriptio in bibliotheca eynobii sancti Michaelis, quibusdam locis interpolata.

### INCIPIT

#### DE APPARITIONE S. MICHAELIS.

##### CAPUT PRIMUM.

*Regnante Childeberto rege apparel sanctus Michael in Gallia, Synagogæ quondam, nunc Ecclesiæ patronus.*

Postquam gens Francorum Christi gratia insignita longe lateque undique per provincias superbiorum colla perdomisset, Childeberto rege monarchiam totius occidua et septentrionis, necnon et meridie partis strenue gubernante, quia omnipotens Deus non solum in omnibus gentibus, verum etiam in omnibus mundi quem ipse fecit subjectorum spirituum partibus principatur; beatus archangelus unus ex septem in conspectu Domini semper assistentibus, qui etiam et paradisi præpositus salvatorum animas in pacis regione collocatur legitur, post eam manifestationem qua se in <sup>a</sup> monte Gargano ad adorandum ac glorificandum quomodo et qualiter voluit, sicut in scriptis habetur, ostendit; his, ut comprehensum est, per beatum archangelum patratis, illuminatis Christi gratia cunctis gentibus, in orientalibus Romanis partibus accipe quibus sese indicis manifestare idem beatissimus princeps civium supernorum voluerit præsulem occidentalium populorum: ut qui quondam benedicto in patriarchis populo Israelitico defensionis attribuerat opem, ipse custos existeret ac prævius vocatis filiis per adoptionem. Namque legitur in visione Danielis prophetæ dicente eidem angelo: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester* (*Dan. x., 21*). Princeps, inquit, vester, populi videlicet Iudeorum. Christo vero Domino in propria venienti, atque a suis non recepto, quin potius prodito, ipso ad Patrem remeante, dum aboletur observatio præce legis, constabilitar annuntiationis evangelicae admirable sacramentum, dum exeunte per omnem terram sono apostolorum, cæremoniae transferuntur sacrorum per ministeria angelorum. Aiunt etenim historie ecclesiastice quod post passionem et ascensionem Domini ad cœlos, post diu exspectatam Israelitarum

<sup>a</sup> Mons Garganus sexto milliari distat a Siponto novo seu Manfredonia, Apulia urbe maritima, Gelasio I summō pontifice sancti Michaelis archangeli apparitione et cultu consecratus.

<sup>b</sup> Montem ad duas Tumbas appellant Odo abbas Glanuafoliensis in epistola ad Adelmodum, et alii

A plenitudinem, cum appropinquaret tempus desolationis civitatis et templi quam Salvator sacro venturum prenuntiaverat eloquio cum fletu humanitatis, Ecclesia apud Hierosolymam monitu Divinitatis per cunctum orbem gentibus evangelizatura diffunditur. Cumque congregatus undique ex omnibus locis populus Paschalis festivitatis præstolaretur diem, sacerdotibus solitas excubias observantibus, voices subitas vigiles audivit dicentes: Migremus ex his sedibus. Voces vero subito per angelos emissæ, quæ enuntiaverunt beatorum spirituum demigrationem, angelicum ministerium insinuarunt ad Ecclesiam gentium transferendum. Ex quibus patenter insinuatur quod beatus Michael archangelus ministerium quod exercuerat in Dei quondam populum, eumdem sortitus sit apud gentium electionem. Hec ita esse devotio credit fidelium propter ostensionem signorum. Notum enim se fieri voluit mortalibus ætatis nostræ temporibus, quo se humanum genus in electorum spirituum societate cognosceret devocatum. Denique advertendum est quo mysterio locum mortalibus præviderit in partibus occiduis, ubi ex omni orbe confluit veneranter angelicum imprecatura subsidium religiosa multitudine fidelium.

##### CAPUT II.

###### *De situ loci.*

Hic igitur locus <sup>b</sup> Tumba vocatur ab incolis, ideo quod in morem tumuli quasi ab arenis emergens in altum, in spatio ducentorum cubitorum porrigitur, Oceano undique mari cinctus locus, angustum admirabilis insule præbet spatium inter ostia situs, ubi immergunt se mari flumina Segia [Al., Sei; vulgo Sée], necnon et Senuna (*Selune*); præbens quoque habitantibus hinc inde non breve nimium spatium. Longitudine vero ac latitudine a radice qua prominet non multum distat (ut conjectur) ab eo opere quo salvatum, imo servatum est humani generis incrementum (*Idest*, arca Noemi). Qui ab Abrincatensi urbe (*Avranches*) sex distans millibus, occasum prospectans, Abrincatensem pagum dirimit a Britannia. Nulla ibi exerceri valet actio mundalis; bis solis congruus exstat locus, qui Christum sedule venerari disponunt: et hos suscipit, quos ad æthera ardens virtutum amor evehit. Copia tanta piscium ibidem reperitur, quæ pleruinque fluminum marisque infusione congeritur. Procul vero cernentibus nihil aliud fore quam spatio quædam, imo speciosa turris videtur. Sed et mare recessu suo devotis populis bis inde desideratum iter præhet beati petentibus limina archangeli Michaelis, qui primum locus, sicut a veracibus cognoscere possumus narratoribus, opacissima silva claudebatur longe <sup>c</sup> ab Oceani (ut aestimatur) æstu millibus kilostans sex, altissima præbens latibula ferarum. Et quia secretiora coeli per contemplationem subtilitatem

quidam, ob duas videlicet montis crepidines, de quibus infra. Hic mirari subit audaciam pseudo-chronologii sub nomine et larva Lucii Dextri, qui haec omnia ad Hispaniam detorquet, ad annum Christi 526.

<sup>c</sup> Codex Chesnianus habet: ab Oceano (ut aestimat) octo millibus distanibus, etc.

tis rimari volentibus gratissima esse solent remota-tiora eremi loca, inibi olim inhabitasse comperi-mus monachos, ubi etiam usque nunc duæ extant ecclæsiæ <sup>a</sup> priscorum manu constructæ. Nam ipsi monachi ibidem Domino servientes dispensatione cuncta regentis Dei sustentabantur, presbytero quodam de villa quæ dicitur Asteriacus (*Beruvoir*) taliter eis ferente auxilio. Nam ut illis sine quo hu-mana non potest exigere vita, deerat victus, sumo si-gnifero discurrente altaque cœli petente, onerabat asellum dapibus dilectione vera sarcitis : sicque duce invisibili prævio, per loca ibat invia, ac redibat ferens Domini jussa illisque necessaria. Sed quia hic locus Dei nutu futuro parabatur miraculo sanctique sui archangeli venerationi, mare quod longe dista-bat paulatim assurgens, omnem silvæ magnitudinem sua virtute complanavit, et in arenæ suæ formam cuncta redegit, præbens iter populo terræ et enarren-tur mirabilia Dei. Jam vero ad illud veniendum est, qualiter idem beatorum princeps spirituum angelica revelatione dedicaverit prædictum locum.

## CAPUT III.

*De constructione loci per angelicam revelationem.*

Quodam tempore cum religiosissimus et Deo amabilis præfatae urbis <sup>b</sup> antistes Authertus nomine sopori sese dedisset, admonitus est angelica revela-tione, ut in jam dicti summitate loci sancti con-strueret in honore archangeli ædem : ut cuius cele-brabatur veneranda commemoratione in monte Gargano, non minori tripudio celebraretur in pelago. At sacerdos dum revolvit illud apostoli, *Probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan. iv, 1*), iterata est admonitus visione, quo perficeret quod jubebatur. Et quia spi-ritus prophetarum non semper est prophetis subje-ctus, distulit adhuc præsul constructionem, sed ad-hibuit intercessionem, quatenus istiusmodi negotium Domini nostri Jesu Christi simulque beatissimi ar-changeli agnoscerre valeret deliberationem. Contigit per idem tempus ut taurum cuiusdam, quem furtim quidam instinctu pravitatis substraxerat, in ejusdem deponeret saxi cacumen, ut dum is qui amiserat ju-vencum, reperiendi amitteret spem, turpe latruncu-lu<sup>m</sup> lucrum efficeret ex eodem. Interea tertia admo-nitione venerandus pulsatur episcopus austrius <sup>c</sup>, ut qui non acquieverat bis admonitus, locum adiret ce-lerius, a quo tamen se sciret egrediendum nullatenus, priusquam perficeret quod fuerat jussus. Ad cuius fiduci confirmationem monstratur etiam ibidem us-que in præsens petra quasi digito hominis inscripta, super quam memoratus episcopus resedit, quo usque opus ad finem adduxit. Percunctanti igitur episcopo qui ædificationi congruus posset videri locus, ange-lica in hunc modum est responsione dictatum, ut loco eo ædificaretur ædes, quo inerat taurus abscon-

<sup>a</sup> Nempe una in honorem sancti Stephani proto-martyris, alia in honorem sancti Symphoriani, quæ amplius non extant.

<sup>b</sup> Non Camaraci, ut putavit Baronius, cognomini Autherti longe ante Camaracensis episcopi vocabulo deceptus.

A ditus et religatus. Cumque de loci requireret ampli-tudine vel quantitatæ, eisdem cognovit responsis ædificationi cum debere statuere modum, quem vi-deret juvencum in circuitu protrivisse. Post hac jus-sum est ut suo præceptor domino restituaretur taurus. Venerabilis ergo episcopus, de visione cer-tissimus, cum hymnis et laudibus prædictum locum ingreasus, exercere imperatum opus aggressus est : congregataque rusticorum maxima multitudine lo-cum purgavit, atque in spatium complanavit : in ca-jus medio duæ præeminebant rupes, quas operantium multorum mouere non poterant manus, nec a suo divellere statu. Qui cum diu hærerent, nec om-nino quid facerent invenirent, nocte insecuta visio apparuit cuidam homini nomine Baino in villa quæ dicitur Icius (*Huyne*), qui duodecim filiis amplius magnam inter suos tenebat dignitatis gloriam. Illic ergo per visum monitus ut cum laborantibus et ipse labori insisteret, festinus ad locum cum filiis venit, impleturus quod fuerat jussus. Quo cum pervenisset, fretus auxilio sancti Michaelis archangeli, quod hu-mana non poterat virtus, mirum in modum tam fa-cile molem tantæ magnitudinis removit <sup>d</sup>, ut nullum pondus inibi esset videretur. At omnes in commune laudantes Deum sanctumque archangelum Michaelem, coepit attentius insistebant operi. Cumque jam dictus episcopus de magnitudine construenda fa-bricæ adhuc dubius cogitaret, nocte media, sicuti quondam Gedeoni in signum victorizæ, ros jacuit super verticem montis; ubi autem fundamenta lo-canda erant, siccitas fuit, dictumque est episcopo : Vade, et sicut signatum videris, fundamenta jace. Qui statim omnipotenti Deo gratias agens, sancti-que implorans archangeli Michaelis auxilium, ex-surgens gaudens et latu<sup>m</sup> opus illud aggressus est.

C Exstruxit itaque fabricam non culmine sublimitatis celsam, sed in modum cryptæ rotundam, centum (ut æstimator) hominum capacem, illius in monte Gargani volens exsequare formam, in modum præ-rupti silicis angelico apparatu facta terrigenis ad laudem et gloriam Dei habitatione : manifeste do-cens semper in coelestibus divini muneris opem esse poscidam, altoque contemplationis intuitu penetrare aetheris astra, non terrenis limosisque paludibus ro-tantia hominum ponere corda. Quod cum post non multum tempus esset opem ferente Deo ædificatum, viro Dei Autherto episcopo manente anxi, proinde quia cernebat sibi deesse sancti archangeli pignora, beatus eumdem sacerdotem Michael admonuit, uti fratres celerrime usque ad locum quo memoria ve-nerabiliter colitur sanctissimi archangeli, dirigeret in Gargano, et eam quam angelo patrocinante refer-rent benedictionem (*Id est, munus*), cum summa exciperet gratulatione.

<sup>e</sup> Hic certe locus erat agendi de impressione illa, qua Michael Autherti cunctabundi caput ad penetra-tionem usque percussisse dicitur.

<sup>f</sup> Nimirum Bainus cum duodecim filiis. Et tamen vulgi traditio fert, infantem unum impulsu pedis id præstitisse.

## CAPUT IV.

*Qualiter a Gargano sit sanctum delatum pignus.*

Interea missi nuntii adeun locum : qui benignissime ab abate loci illius suscepti vestibusque mutati , ac tanti itineris fatigazione sublevati, cuncta quæ suæ contigerant regioni, simulque ad quod venerant pandunt. Quæ verba cum ipsius loci <sup>a</sup> abbas suo retulisset antistiti , uberrimas omnipotenti Deo laudes uterque retulit, qui pro lapsis naturæ fragilitate terrenis assistentium sibi ministrorum dignatur præbere suffragium. Hinc cum qua decebat veneratione sumptis a loco pignoribus, quo beatus archangelus sui memoriam fidelibus commendaverat, partem scilicet rubei pallioli quod ipse memorandus archangelus in monte Gargano supra altare quod ipse manu sua construxerat, posuit, et partem scilicet marmoris supra quod stetit, cuius ibidem usque nunc superexstant in eodem vestigia , jam dictis fratribus usque ad sacrum locum referenda contradidit, conditione interposita, videlicet ut quos una angelicæ revelationis sociaverat causa, una quoque æternaliter necret connexio charitatis.

## CAPUT V.

*De adventu reliquiarum [ Al., De exceptione angelici patrocinii.]*

Summi interea nuntii repedantes, post multa itineris spatia, ad locum quo digressi fuerant, ipso die quo fabrica completa est in monte jam dicto in occiduis partibus, quasi novum ingressi sunt orbem, quem primum veprium densitate reliquerant plenum. Quo dum appropinquant , sacerdos Domini Autbertus occurrens cum multis laudibus, cum canticis spiritualibus, cum ineffabili gaudio omnium in sacro monte angelica mortalibus devehit profutura presidia. Dici vero non potest quantum in adventu (ut ita dicam) angeli circumiacentes provincie gavisæ sunt lætitia et gaudio : quippe quia sibi divinitus providebant inæstimabile supernum tribui donum, in hoc quod beatum Michaelem archangelum coelestis militiae principem merebantur obtinere signiferum ; cognoscentes etiam signa et mirabilia quæ Dominus per ministrum suum operatur mortalibus, ita ut per hujus itineris spatia duodecim cæci illuminati, pluresque diversis infirmitatibus acti pristinæ sunt redditæ sanitati. Et quod his addendum est, mulier quedam orbata luminibus, de villa quæ dicitur Asteriacus, dum prosequitur pretiosissima munera summi archangeli Michaelis, mox ut attigit planitem arenæ maris <sup>b</sup> divinitus factum recepit visum, admirans se de tenebris subito in lucem

<sup>a</sup> Nunc locum occupant sexdecim canonici sœculares, quos Garganicos vocant.

<sup>b</sup> Nunc locus a lumine feminæ restituto vocatur Beauvoir, qui olim Asteriacus.

<sup>c</sup> Nihil hic de ritu dedicationis ab ipso Christo Servatore, (ut ferunt) celebrato, ipso Autbertus ipse locum dedicasse dicitur infra cap. 7.

A mutatam. Sed et usque hodie per summum ministerium suum hæc eadem Dominus quotidie ad laudem et gloriam nominis sui in eo loco operari non desinit.

Igitur eo die, quod est xvii Kalend. Novembris, veneranda completa templi dedicatione <sup>c</sup>, vir Domini Autbertus postquam sagaciter omnia sub ordine disposuit, officia quoque servientium clericorum <sup>d</sup> constituit, deputans hos inibi sub numero consistere duodecim, qui legitimis observationibus perpetuauerunt in beatissimi Michaelis archangeli persisterent famulatu, quamvis non ejusdem numeri in eodem loco a successoribus beati viri sint clerici constituti. Simul etiam de episopio suo eidem loco a servientibus villas contradidit, videlicet jam dictam villam Iicum (*Huyne*) et Genitium (*Genet*).

## CAPUT VI.

*De obtenta aqua per angelicam revelationem.*

Interea idem præsul cuncta pervidens congruo patrata ordine, hoc unum quod poterat valde videri difficile, a sancto censuit expetendum archangelo , aquæ scilicet elementum, sine quo constare nequit vita mortalium. Super hoc ergo Domini nostri Jesu Christi simulque sancti archangeli dum expetit simul cum grege sibi commisso auxilium, ut qui quondam produxerat sitienti populo de petra poculum, ipse a servis suis amovere dignaretur aquæ penuriam ; tandem angelica ostensione locum didicit, ubi in prærupto silice dum concavum foramen exciditur, mirum in modum aquarum mox abundantia reperitur, que possit habitantibus competentem præbere usum. Eadem vero aqua profluens quod sit haustu salubris, multis est ostensum modis. Celerem namque fert febricitantibus operm, quoties desiderium provenerit sumendi <sup>e</sup>.

## CAPUT VII.

*De miraculis in eodem loco patratib.*

Apud beati vero basilicam archangeli, ipso opitulante virtutes efficiuntur innumeræ: illuminantur namque ibidem cæci, gressum recipiunt claudi , merentur auditum surdi, fugantur ex obsessis corporibus spiritus immundi, Domino Deo nostro præbente auxilium per ministerium angelorum. Autbertus autem præsul venerabilis quia memoratum locum sub honore sanctissimi dedicaverat archangeli Michaelis : alias vero quæ nunc videntur in undenarium crevisse numerum, crescente devotione et amore, fidelium exstruxit manus, ubi divina præstantur beneficia, adjuvante Domino nostro Jesu Christo.

<sup>d</sup> Odo abbas Glannafoliensis in epistola ad Agelmodum Cenomannicum episcopum de inventione vitæ sancti Mauri, meminit <sup>e</sup> cuiusdam clerici qui Petrus vocabatur, qui Roman ex pago Abrincatino de loco sancti Michaelis qui ad duas vocatur Tumbas perrexerat. <sup>f</sup>

<sup>e</sup> Hactenus codex noster.